

ANTONII POSADA,

108

DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE

IN SEMINARIO FVLGENTINO

P. O. P.

ORATIO

HABITA CORAM ILLVSTRISS. D.

D. VICTORIANO LOPEZ GCNZALO

EPISCOPO CARTHAGINIENSI,

OB PRIMOS SIBI DECRETOS

IN S. THEOLOGIA HONORES ACADEMICOS,

NON. MAII ANN. MDCCXCII.

QVAM


IN NON PERITVRAM TANTI PATRONI MEMORIAM

AMPLISSIMVS MVRCIAE SENATVS

PVBlicAE OFFERT LVCI.

MATRITI.

TYPIS BENEDICTI CANI.



ALEXIVS MANRESA

ET

DIDACVS PAREIA,

MVRCITANI SENATORES,

PATRIAE AVSPICATO NOMINE.

*I*nter innumera beneficia quae immortalis memoriae Antistiti EMMANVELI RVBINIO cives nostri universaque Carthaginensis dioe-

cesis accepta referunt, illud sane maximum est, ac aeterna grati animi significatione recolendum, quod Seminarium Felgentinum ad summam litterarum gloriam perductum pluribus auro gemmaque praetiosioribus laudis insignibus ornandum curavit, adstipulante optimo patriae et litteratorum parente CAROLO III. acerbissimo fato bonorumque omnium luctu nobis erepto. Praestat tamen facile caeteris singulare illud decus, quo facta gradus honoresque academicos deferendi potestate, rite constitutam studiorum rationem sancivit; iuvenumque animis stimulos indidit ut ad ampliora studiosius contenderent, sedulam iis disciplinis navantes operam, quibus divina, pro dignitate; humana, pro utilitate communi tractantur.

Enimvero illius post mortem, licet exacta iam prope aetate, litteris tamen praematuram, collapsa omnia ac foedata sunt misere. Luxere recti quique Patronum beneficentissimum, infausto caussae publicae omine, im-
por-

portune sublatum ; votisque piis alterum diu expetiere qui et amissi desiderium lenire , et madentium adhuc oculorum lacrimas posset abstergere.

Annuit tandem clementissimus Deus : et Praesulem nobis largitus est qualem maxime peroptarant tempora : qui , quo aestuat amore omnium quae honesti rectique ratione continentur , Murcitanam rem fovet benignissime , votaue etiam nostra vel ultro lubensque praevenit. Celebre illud litterarum theatrum cuius veteris vix umbra decoris et antiquae formae vestigia adparebant , nitori pristino restitutum cernimus. In eo nati nostri seraue ex eis posteritas sancte riteque instituta et optimi cives in reip. bonum , et digni rerum divinarum dispensatores evadent.

Gratias ergo ei agimus immortales : et in devinctissimae voluntatis signum munus hocce exhibemus ; mole quidem exiguum , sentiis tamen genereque orationis haud omnino despiciendum. Quo in lucem edito , sum-

(6)

*nam qua bene de se merentem Praesulem
prosequitur Murcitana civitas, benevolen-
tiam gratumque animum perpetuo testatum
volumus.*

Prae-

Praeclara apud omnes gentes consuetudine, communi naturae animantium indita, A. A., acceptis beneficiis gratiae non habentur solum, sed et quibus cuique licet animi significationibus agi solent.

Quod consilium quibus potius quam nobis, aut quando magis colendum usurpandumve est, quam cum suavissimi Antistitis beneficio ad agendas supremo bonorum omnium auctori DEO OPT. MAX. gratias excitamur?

Divino namque munere contigisse reor, ut qui Patronos amiseramus nobis beandis natos, inimicorumque structas insidias in nostram perniciem longo iam tempore verebatur, tandem veritatis et iustitiae causam suscepisse Illustriss. D. VICTORIANVM LVPI GONZALVM, Dioeceseos huius amantissimum Praesulem, iure merito gaudeamus.

Cuius ob merita in Seminarium, immo et in litterariam remp. universam collata, nihil mihi optatius, nihil iucundius, quam colendissimi Parentis nomen laudesque praedicare, nostrique omnium gratum piumque animum posteris testatum relinquere.

Huic autem absolvendo negotio etsi mihi linguae essent oraue centum, dies potius quam materia

deficeret. Quis enim ita esset formatus ingenio ut beneficentiam plane singularem qua pauperum inopiam larga manu recreat; humanitatem qua omnes grato excipit vultu et amplexu; prudentiam illam et in rebus gerendis dexteritatem sat vobis cognitam et perspectam, aequa possit oratione complecti? Propterea iis inculta et pingui, ut aiunt, Minerva exorandis supersedere malo, quam et viri modestiam offendere, et virtutum splendorem tenui parumque digno sermone elevare.

Alio ergo animus convertatur: ac res nostras proprius adspicientes, cum eversas plane ac paene funditus eversas viderimus, nunc autem pristinam gloriam et ornamenta recuperasse; quibus gratiae memoriae significationibus tanto Maecenati possimus rependere, perspiciamus. Et iacta sunt fundamenta orationis: quae quidem vereor ne in reprehensionem incidat multorum, qui res non iusto, sed praeconceptis cupiditatibus aestimant. Succenseant tamen quibus volupe sit: ego enim fruor temporis felicitate, sub quo et sentire licet verum, et quod sentis dicere.

Ac primo nobis iam rerum seriem et fata repentibus, illa sese offerunt a nostra umquam memoria oblitteranda laetissima tempora, quibus dioeceseos Carthaginensis, totiusque Hispaniae ornamentum,
 Illustrissimus D. EMMANVEL RUBINVS, optimis litteris

a diuturno squalore vindicatis, omnigenae eruditioni sedem ac domicilium apud nos paravit honestissimum.

Is adeo non prius supremum episcopatus fastigium attigit, cum eo coepit oculos nervosque suos omnes intendere, ut germanis studiis ecclesiasticis, quorum dulcissima tenebatur consuetudine, munitam et aeternum duraturam arcem in Seminario nostro Fulgentino dedicaret.

Alte illius insederat animo, scriptorum esse praecipuas partes tam multa tamque varia disciplinarum distribute et scite verbis paucis complecti, concinna et plana oratione proponere, explicare dilucide et adcurate. Id ergo secum omnino constituit, ut quos his nominibus probatissimos viris quibusque gravibus, bene de Religione et republica meritis comperiisset, nobis diurna nocturnaue manu versandos traderet.

Rectene, an minus, consilium hocce exequutus fuerit, vos ipsi, Sodales, qui uberes adeo sanae doctrinae fructus ex eorum lectione capitis, testes eritis locupletissimi: testes honorificentissimae Regis optimi CAROLI III. supremique Senatus de Seminario nostro sententiae: testes demum exteri, non secus ac domestici scientiarum amatores, qui novam studiorum rationem laudibus abunde cumulata viam reputarunt planissimam, qua nedum severae sed et hu-

humaniores litterae diu exulantes ad penates tandem Murcitanos revocarentur, veterumque CASCALIS, SANCII, SOLANII, MEDINAE, SAAVEDRAE, aliorumque Murciae decorum tempora laudesque adaequarent.

Aque id certe unum sat ponderis habere debuisset, ut si hebetiores inimicos nostros stolidioresque finxisset natura quam ut pervidere rei praestantiam possent, tamen quod tanti Regis, tam moratorum hominum, et gravissimorum Praesulum probatum iudicio cernerent, magnum esse aliquid et utile suspicarentur. Veternosa litteratorum infirmitas et conditio! qui nihil rectum nisi quae sibi placere ducunt; vel turpe existimantes minoribus parere, quae imberbes didicere, senes perdenda fateri nolunt.

Exequendae igitur rationi studiorum Magistros undique adscivit lectissimos, & honestis conduxit stipendiis: rationibus etiam suis paternis iuris utriusque Professores pristinos auxit, instituit alios: nos in celeberrimae Granatensis academiae alveum iusque cooptari a CAROLO III. impetravit: nullisque unquam curis aut sumptibus pepercit, quominus Seminario nostro nihil ad utilitatem ornamentumve deesset.

Deerat tamen aliquid votis. Fulgentinus alumnus, post emensos studiorum curriculum, operae diligenter navatae litteris testimonia alibi quam apud suos emendicare cogebatur. Nihil omnino quod bonae fru-

frugis adolescentes penes nos cohonestaret : gloriae et laudis irritamentum nullum. Rursus ergo Regem adiit clementissimum , nunquamque a nobis sine piis lacrimis memorandum : qui qua erat in clarissimum Antistitem benevolentia , illius precibus annuit benignissime , nosque , singulari ad haec usque tempora honore , minoris academicae laureae nostris alumnis impertiendae arbitros esse iussit.

Sed dum parta , non solum apud nostrates , sed etiam apud exteras gentes gloria fruitur ; dum primos , nec eos exiguos , vigiliarum fructus capit ; dum bibliothecam parat locupletissimam ; aliaque meditatur , quibus effectis , nihil nobis unquam vel timendum fuisset , vel desiderandum ; communi hominum functus est sorte.

O ferreum fatorum ordinem ! O nefastum et luctuosum diem , quo gubernatore amisso vigilantissimo , placidam tempestatem saeva alia et obnoxia procellis excepit ! Quoties ignorantiae et invidiae , ad id usque temporis gravissima Praesulis auctoritate compressis , tunc autem simul in nostram perniciem flantibus , ludibrio fuimus ! Quoties illis concussi et paene ad interitum iactati , fortunam , existimationem , gloriam , spes amissas doluimus ?

Modis omnibus laccessiti ; dire insectati ; immisericorditer vexati , ipsas etiam quibus incubuimus

dis-

disciplinas nigro notatas carbone calumniisque appetitas adspeximus. Fuere enim (testes vos adpello, Auditores,) fuere tenebriones qui longis adhuc equitantes arundinibus, et glandibus vescentes fruge iam reperta, nos in crimen erroris et violatae Religionis vocavere: et stridenti hac et flammis armata chimæra in nos ubique irruentes, de misera rerum nostrarum subversione malo reip. ac ipsius Religionis gaudebant.

Extitere tamen æqui rerum aestimatores qui callidas inimicorum artes dignoscerent, quique eos non veraces, non iustos, non boni cupidos; versutos potius, veteratores, vafros, recti aut ignorantes aut invidos iudicarent. Horum sententiis, ut paucorum ita et gravioribus, conscientiaque incorruptae, omnium gravissimo, testimonio recreati, adversam tempestatem, quo potuimus modo, taciti, ac nimium fortasse taciti toleravimus. Eluxit quandoque afflictis rebus spes: gravioraque passi dandum iamiam adstantibus malis finem haud satis consulto, ut in adversis solet, speravimus. Ereptum nobis id quoque solatii, nullusque adfuit dolori modus. Cui ita indulsimus, ut tamen crederemus subventurum nobis aliquando supremum Numen, nec passurum de illius Collegii dignitate omnino actum esse, quod non temere summis et immortalibus beneficiis ornasset.

O spes nostras ad exitum cumulate perductas! Talem quippe sumus nacti Patronum, qualem vix fingere aut excogitare poteramus; venerandum videlicet Episcopum quem praesentem suspicitis, ingenio ad optima quaeque facili ornatum; a partium omnium studiis, quae tanto litteris fuere detrimento, abhorrentem quammaxime; veritatis et iustitiae strenuum cultorem; de nobis adeo amanter sollicitum, ut ad fovendas res nostras, Fulgentinumque Seminarium pristino decori restituendum, non humanitus missus, sed de coelo delapsus esse videatur.

Quid vobis, sodes, de tam munifico Parente non ausim polliceri? Vix dioecesim ingressus, de nobis statim cogitare coepit; ratus, nec id iniuria, ad summam rei Christianae sui que muneris pertinere eam curam quae circa Rectorum Sacerdotumque Seminarium moderanda versatur. Ac prudenti sane consilio haud difficiles primo et amicis et inimicis praebuit aures; ut quid igni traderet, quid falce meteret, quid calore fovendum nosceret. Cum vero perpensis omnibus accurate, res ipsa, prout erat, adparuit, tum demum benevolentiam pectore diu compressam exere, ac effussis, ut ita dicam, habenis omni nos beneficiorum genere obstringere ac paene obruere.

Ac ut mittam honorificentissima, eaque assidua, de Seminario nostro testimonia; ut mittam Modera-

torem nobis praefectum naturae et ingenii egregiis dotibus paucis comparandum ; ut mittam ampliandos iamiam domesticos lares et curandae loci salubritati magno privatae oeconomiae commodo perfici iam coeptos conatus ; privilegium illud plane singulare quo adolescentibus bonis artibus rite perfunctis scholastici honores et insignia decernuntur ; privilegium, inquam, quo tantopere apud litteratos omnes commendabamur, invido tamen fato iamdiu in tenebris delitescens, maximo bonorum omnium plausu in publicam protulit lucem, eique primum exequendo laetam hanc et in Seminarii fastis perpetuo memorabilem praefixit diem.

Augurari iam licet (nec nos, credo, fallat augurium) non commissuros vos, iuvenes ornatissimi, ut optimi Maecenatis conatibus ac laboribus vestra tantum industria defuisse videatur : quin potius ea alacritate suscepturos litterarum studia, qua et uberem doctrinae segetem et nomen vobis pariatis sempiternum. Id gratiarum omnium vice, quas maximas ei debetis et immortales, à vobis postulat Illustriss. Antistes erga studia vestra insigniter animatus. Facite ut spectationis damnetur suae. Date operam litteris humanioribus : naturae abdita ; rei-publ. ordinandae et moribus componendis leges sedulo scrutamini : divinarum rerum politiaeque ec-
cle-

clesiasticae disciplinis toto pectore incumbite ; sacrorumque codicum et venerandae Traditionis facibus praelucentibus , universam , quam late patet, Religionis rerumque quae Religione continentur theoriam , avide perlustrate.

Velit , faxit largitor omnium DEVS immortalis, ut hi satus florescant in dies uberius ; atque in tuto tandem omnibus collocatis , liceat nobis sub Parentis amantissimi auspiciis per litterarium otium , Seminario dioecesisque haud inutile , vitam degere.

Solemnia igitur tibi , Praesul colendissime , nostri omnium nomine vota nuncupo. Beneficii hodierni memoriam aeternum recolendam recipimus : idque nobis praecipuo erit curae , id quanta possimus contentione efficiendum spondemus in posterum , ut tuae in nos benevolentiae , officiorumque quibus Seminarium Fulgentinum ornatum voluisti , fructus capias quammaturrimos et uberrimos.

Servate vos , Superi , tam charum caput. Cedant ei omnia prospera et fausta precamur. Haec una nostri omnium vox : salus Pastoris , vivat diu atque felix. DIXI.

GLISCVERE INTER EXCVDENDVM.

Pag. I. vers. X. . . . *Acamemicos* pro *Academicos*.

Pag. XI. vers. ultim. . . . *dis* pro *di*.

Pag. XIII. vers. X. . *delitescetem* . . . pro *delitescens*.

1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions. It emphasizes that this is crucial for ensuring the integrity of the financial statements and for providing a clear audit trail. The text notes that any discrepancies or errors in the records can lead to significant complications during an audit and may result in the disallowance of certain expenses.

2. The second part of the document outlines the specific procedures that must be followed when recording transactions. It details the requirements for proper documentation, including the need for original receipts and invoices, and the importance of clearly identifying the nature and purpose of each transaction. The text also discusses the timing of entries and the need to ensure that all transactions are recorded in the appropriate accounting period.

3. The third part of the document addresses the issue of the classification of expenses. It explains that expenses must be properly categorized according to the applicable accounting standards and the nature of the business. The text provides examples of common expense categories and discusses the criteria used to determine the appropriate classification. It also notes that certain expenses may be subject to specific limitations or restrictions.

4. The fourth part of the document discusses the importance of regular reconciliation of the accounting records. It explains that this process involves comparing the internal records with external statements, such as bank statements and vendor invoices, to ensure that they are in agreement. The text notes that regular reconciliation helps to identify and correct errors early on and is essential for maintaining the accuracy of the financial data.

5. The fifth part of the document discusses the importance of maintaining proper records of all changes to the accounting system. It explains that any modifications to the chart of accounts, the accounting policies, or the software used for recording transactions must be properly documented and approved. The text notes that this is important for ensuring the consistency and reliability of the financial records over time.